

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XIX. Quod bonum sit missae interesse.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

neglexit in vita sua : orans per ipsum omnia imperfecta sua plene suppleri. Insuper si omnia deperdita, depravata sive neglecta sua sufficienter recuperare voluerit, sæpius accedat ad illud prænobile et dignissimum sacramentum corporis Christi, quod omnia in se continet bona, omnisque gratiæ est inventivum.

CAPUT XIX.

QUOD BONUM SIT MISSÆ INTERESSE.

DIE quadam cum præ debilitate longius ire non valens, Missam in ambitu audiret, ingemuit, conquerendo se Deo esse remotam. Cui Dominus statim respondit : « Ubi- cumque tu es, ego sum. » Tunc illa requisivit si aliquid obesset quod homines de longe Missam audirent. Cui Domi- nus : « Bonum est ut homo præsens sit ; quod dum nullo modo potest, sic tamen prope sit, ut verba valeat audire ; quia secundum quod Apostolus dicit : *Sermo Dei vivus est et efficax et penetrabilis.* (HEB. IV. 12.) Verbum enim Dei animam vivificat, infundens ei spirituale gaudium, sicut etiam apparet in hominibus laicis et idiotis, qui licet non intelligant quæ leguntur, sentiunt tamen gaudium Spiritus, et inde ad pœnitentiam animantur. Verbum etiam Dei effica- cem reddit animam ad virtutes, et quæque bona, et penetrat eam, omnia ejus interiora illustrando. Sed cum infirmitate vel obedientia, vel alia rationabili de causa præpeditur, ubi- cumque tunc homo est, ibi eidem præsens et cum illo sum. »

Tunc illa : « Eia mi Domine, modo mihi aliquid ex præsentibus Missæ verbis dona, unde anima mea spiritualiter

Verbum
Dei etiam
simplices
penetrat.

Se Christus
ter offert
cum canitur
Agnus Dei.

consoletur. Cui Dominus : « Ecce jam mihi canitur ter *Agnus Dei* : in primo me offero Deo Patri cum omni humilitate et patientia mea pro vobis ; ad secundum, offero me cum omni amaritudine passionis meæ in plenam reconciliationem. Ad tertium, cum toto amore divini Cordis, in supplementum omnium quæ homini desunt bonorum. » Dixit etiam Dominus : « Dico tibi : qui Missam devote et studiose audierit, in extremis ejus tot nobiles Sanctorum meorum personas in ejus consolationem et defensionem, ad animam ejus cum honore deducendam, sibi transmittam, quot Missas in terris audivit. »

Homines ad
ecclesiam
contriti
accedant.

Item cum vice quadam ad Missam iret, vidit Dominum de cœlo in candidissima veste descendentem et dicentem : « Cum homines ad ecclesiam properant, pœnitentia, pectoris tunsione et confessione se deberent præparare ; sic meæ divinæ claritati possent obviare, et eam in se recipere, quæ per hujus vestis candorem declaratur. »

CAPUT XX.

QUALITER HOMO TORPOREM DEPELLAT, ET SOMNUM.

PIA hæc et devota Virgo, miro modo anhelans cœlestia, cum tempore æstivo Sorores quasdam in Missa pigritantes et dormitantes videret, zelo accensa justitiæ, simul et pietatis ducta affectu, dixit ad Dominum : « Eia Domine Deus, quid est quod miser homo tam fragilis est, ut nec cum divinis interest, a somno valeat abstinere ? » Ad quod Dominus respondit : « Si cogitarent cœlestia, aut etiam inferni pœnam, somnus ab eis bene fugaretur ? Et